D. FERN. VASQVIJ PINCIANI, MENCHACENSIS, HISPANI, I.C. SOLERTISSIMI, ET IN SVMMO SERENISSIMI

D. Philippi, Hiſpaniarum Regis potentiſſimi Prætorio

Senatoris digniſſimi:

DE SVCCESSIONIBVS ET VLTIMIS VOLVNTATIBVS.

LIBRI IX. IN TRES TOMOS DIVISI: QVORVM materiam ſequens pagina indicat.

TOMVS PRIMVS.

OPVS PLANE AVREVM, NVNC QVARTVM IN GRATIAM ILLVSTRIS [illegible]

mendis repurgatum, diuerſiſque characterum ſchematibus exornatum.

[illegible]

[illegible] operis: aliquot conuentibus: Conclusionibus peregrinis, ac recentiori quarundam [illegible] Explicatione.



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

COLONIAE ALLOBROGVM.

Sumptibus IAN ANT. SARACENI & ALEXANDRI PERNET.

ANNO M. DCXII.

Lib. I. Poteſtatem & voluntatem Teſtatoris dilucidiſsimè depingit.
Lib. II. Requiſita teſtamentorum optimè recenſet.
Lib. III. Limitationes ſeu modificationes requiſitorum artificiosè tractat.
Lib. IV. Transmiſsionem, quæ tam ſubſtitutionis, quàm ius accreſcendi vincit, luculentiſsimè demõſtrat.
Lib. V. Subſtitutiones expreſſas continet.
Lib. VI. Tacitis ſubſtitutionibus inſeruit.
Lib. VII. Succeſsionum reſolutiones integrales largiſsimè explicat.
Lib. VIII. Omnes caſus ſeu ſpecies, quibus teſtamentum initio firmum, vel ex toto, aut ex parte irritetur, ſolertiſsimè ponit.
Lib. IX. Materiam 2. Libri, per omnium Legum interpretationem, quæ ſub Tit. C. de inoff. teſt. conſpiciuntur, prolixius tractat.

IVRISPRVDENTIAE

ANTISTIBVS, VTRIVSQVE FORI PRAESIdibus, aduocatis, Nec non cuiuis Amico ac beneuolo Lectori S.P.

DESIDERASTIS, Viri Magnifici ac Ampliſſimi, & quidem deſiderio maximo, iam per decennium circum circa, Tractatum D. Fernandi Vaſquij, *de ſucceſſionibus & vltimis voluntatibus*, olim à Sigiſmundo Feirabendio, p.m. publici iuris factum, diſtractis prioris editionis exemplaribus non amplius proſtantem. Nemo vero, qui deſiderio veſtro ſatisfaceret, illo mortuo hactenus inuentus eſt. Quod equidem mirum ac rarum vobis viſum. Aſt in promptu cauſæ ſunt. Opus arduum magnæ quantitatis, maiorum ſumptuum, ingentes moleſtiæ, maiores emaculandi labores, difficilia tempora cum annonæ charitate coniuncta. At enim eſto, vt prætexis, Eſtne propter tantillas quales quales cauſas Reipublica literaria ſuo commodo priuanda, melioriſque notæ Authoribus, vilioribus in eorum locum ſubſtituris, ſpolianda. Sanioris cerebri homines ſi interrogaueris, vtroque negabunt capitis latere. Et cur non negent? Ardua ac aſpera virtutis eſt via: attamen calcanda iis omnibus, qui ad eius ſcopum collimant. Fodinæ metallicæ magnos flagitant labores, maiores expoſcunt ſumptus, maximas ſecum vehunt moleſtias: attamen perfodiendæ pro rerum neceſſariarum vſu, præſertim verò iis, qui auri ac argenti venis aperiendis inhiant. Sic arduum etſi Opus præſens ſit, magni impendendi ſumptus, maximi deuorandi labores, cæteraque incommodorum ſeges exſurgat larga: non tamen prætereundum, quin ad incudem reuocetur. Inprimis cum cedat in commodum Reipub. literariæ, ac omnibus controuerſiis teſtamentariis dirimendis vnicè par ſit. His ergo rationibus, Candidiſſimi Lectores, victus, (quippe qui alias ex ſeniſſe prædicto Feirabendi, negociationem titulo emptionis poſſideo) modo dictum Opus, *de ſucceſſionibus*, Iuriſperitorum aliquot iudicio ſubiici, menda tolli, ſuperflua demi, ſteriliſque lacunas ſuppleri, indiceſque de nouo confici iuſſi, mandaui, curaui. Ex voto facta omnia. Vtinam vero ex voto veſtro! Veſtrum nunc eſt, Candidiſſimi Lectores, labori à me deuorato gratulari, ſumptus, quos impendi largiter refundere, adque maiora tentanda calcar addere, ac Opere præſenti ad controuerſias dirimendas pro re nata vti. Vale Calend. Septembr. Ann. 1610.

D. FERNANDI VASQVII MENCHACENSIS, IVRISCONSVLTI HISPANI, IN SVMMO DOMINICÆ REI POTENTISS. C. HISPAniarum Regis Philippi prętorio, Senatoris clariſſimi,

DE SVCCESSIONVM CREATIONE, PROgreſſu & reſolutione, Tractatus primæ partis,

LIBER PRIMVS.

SVMMARIA.

1 *Creatione, progreſſu, & reſolutione omnes res conſtant.*
2 *Iuris quanta ſit ambiguitas.*
3 *Succeſſionum materiam peragere, ut opera pretium ſit.*
4 *Operis diuiſio.*
5 *Succeſſionum, vox largè ad omnes res, quæ in orbe ſunt, pertinet.*
6 *Succeſſio pro euentu interdum ſumitur.*
7 *Facti appellatio largè accipitur.*
8 *Definitio periculoſa.*
9 *Succeſſionis ſtrictè ſumptæ definitio remiſſiuè.*
10 *Definitionem ad communiter accidentia aptari, an ſufficiat.*
11 *Succeſſio triplex, teſtamentaria, legitima, anomala.*
12 *Heres anomalus.*
13 *Succeſſio teſtamentaria antiquior, quàm legitima.*
14 *Succeſſio teſtamentaria fortior, quàm legitima, ſed utraq; eſt iuris poſitiui.*
15 *Succeſſionis aut hereditatis legitimæ appellatione quid contineatur, ardua quæſtio.*
16 *Verborum proprietas ex legis interpretatione ſæpe violatur.*
17 *Intellectus* l.3. §. de illo. ff. pro ſocio. *ut procedat ex legis interpretatione facta contra vim verborum.*
18 Iuſtum, *quid ſignificet.*
19 *Succeſſionis verba, ſine alia adiectione prolata, comprehendi etiam teſtamentariam ſucceſſionem contra commun. opin. contra Socinum.*
20 *Legitimis heredibus ſuis & ſibi, qui emphyt. recepit, an teſtamentarius præferatur.*
21 *Poſſeſſio ut ipſo iure tranſeat in heredem ſi cautum ſit, an in legitimum tantum, an vero etiam in teſtamentarium tranſeat, egregia quæſtio.*
22 *Citatio, ut per hominem acquiratur poſſeſſio, neceſſaria eſt, non ſic, ut acquiratur per legem.*
23 *Lex certa eſt de eo, quod in rerum natura iam eſt.*
24 *Maioratus poſſeſſio transfertur ipſo iure in ſequentem in gradu, ſiue in teſtamento, ſiue ab inteſtato, ſiue ex diſpoſitione inter viuos deſcendat.*
25 *Teſtatoris de poteſtate prius agendum, quàm de voluntate.*
26 *Teſtamentum quid ſit, noua defenſa definitio Vlpiani.*
27 *Teſtamentum an ſit etiam actus inter viuos ſimilis noua interpretatio.*
28 *Legatum & fideicom. & ſimilia, non ſunt iuſtæ & perfectæ diſpoſitiones contra communem opinionem.*
Teſtamentum unde dicatur.
L.1. tit.1. part.6.
29 *Teſtamentum quare inuentum.*
Diuitiarum homines fore cupidiores, an reipub. interſit.
30 *Diuitiarum pericula.*
31 *Amici diuitias ex more hominum ſequuntur.*
32 *Diuites inſoleſcunt.*
33 *Cupiditas pellit ignauiam.*
34 *Cupiditas auget curas.*
35 *Pauperes contemnuntur.*
36 *Pauperes ſiunt humiles & degeneres.*
37 *Diuitiæ nil ad ſanitatem corporis aut vitam longiorem.*
38 *Diogenis & Crœſi hiſtoria ſeu fabula.*
39 *Nuda [illegible] diuitiarum [illegible] anima.*
40 *Tantali fabula.*
41 *Diuitiarum miſeria.*
42 *Diuitiarum anxia cuſtodia.*
43 *Aurum quæ mala induxerit.*
44 *Iouis fabula ſacra.*
45 *Alexandri hiſtoria.*
46 *Declaratio* l.11. Tauri & l.9. tit.5. lib.3. fori.
Declaratio l.27. Tauri.
47 *Deorum, quos cæca gentilitas colebat, ſola ſpes manſit in terris.*
48 *Spes generi humano amica.*
49 *Ingratitudinis deteſtatio.*
50 *Ingratitudo humani generis.*

PRÆFATIO.

OMnes ferè † res corporeas occulta quadam ratione atque ordinem, huncque progreſſum tenuiſſe ſæpe animaduerti, ut in ſui creatione paruo quidem initio ortum traxiſſe, deinde paulatim augeſcentes, eo perueniant, ut ſummum gradum attigiſſe tantum ſat ſit, quo poſtquam peruentum eſt, referri rurſum ac relabi, quaſi ſeneſcentes videantur, atque ita ſenſim minui, ut ad interitum uſque reflectantur, iamque culmen cuiuſque rei ipſius declinationem, ac ſubinde ruinam non incertam (quæ rerum humanarum infelicitas eſt) minari videatur. Idque in omni animantium genere, ſiue illa rationalia ſint, ſiue rationis expertia, in cunctiſque ſtirpibus è terra natis intueri licet, quæ imbecilla in lucem exeunt, deinde vigeſcunt, mox debilitantur, atque ita ſenio conficiuntur. Quod in ultimarum voluntatum diſpoſitionibus pleriſque euenire intelligens, ut poſt ſui creationem ſuum habuerint progreſſum & effectum, déque rerum corporalium more interitum ſui non ſemper effugiant, conducibile exiſtimaui, in huiuſcemodi parteis tres opus noſtrum diuidere, naturæ ordinem ſecutus, quam & noſtrum ius mirum in modum imitatur, quo ordine omnia quæ ad ſucceſſiones ſeu ultimas voluntates ſpectant, & integerrimè & miro nouóque ordine complectemur. 1

Verum cùm totum ius Ciuile † opinionum aduerſis frontibus inter ſe pugnantium refertum ſit, ut nō tam feruens æſtu pelagus, cum flamma inter nubes coruſcat, aut cœlum tonitru concutiunt, quam ius Ciuile conturbat variarum opinionum ſtrepitus (quæ tot ſunt, ut & olim ineunte adoleſcentia Salmāticæ plura quam 700. paradoxa contra receptas interpretum traditiones tueremur, & in prima huius operis parte lōgè plura adiecerimus, alia innumera in duabus partibus ſequentibus excitaturi) ideo in quæſtionibus controuerſis & arduis plerumque verſari nobis potiſſimum curæ fuit, ſi forte tenui, anguſtáque hac noſtra ſupellectili ſupremis defunctorum voluntatibus turbinibus pugnantium inuicem opinionum ſeditis ea potiſſimum nomine opem ferre poſſemus, quod & ſententiarum inter ſe diſſidentium eas pleruníque, quæ legibus regiis inhærent, quaſque uſus forenſis amplectitur, delegerimus, & noſtra inuenta non admodum rara addiderimus, quo magis in poſterum hæc tota pars elaborata, aliqua ex parte & perſpicua fiat, cùm antea anceps, inerti & inculta eſſet, ut nobis obſcura ſit eorum imperitia, qui hunc noſtrum laborem in Ciuile inter- 2